

rimus; quandoquidem de ipso sensu verborum ac phrasium Scripturæ imprimis quæritur, & Definitio *Elementorum mundi*, cum mente Scriptoris S. conveniens, e certis principiis demum erunda venit. Quæ autem de significatione harum vocum communiori ex indole linguæ sunt præmittenda, rectius sub titulo *Observationum*, vel si mavis, *Lemmatum* proponentur.

AXIOMA.

Talia sunt subiecta, qualia permittuntur esse a suis predicatis.

Regula hæc est Philosophorum adeo certa & ab omni exceptione immunis, ut ad propriam æque ac impropriam vocum suppositionem extendatur, ut commutatis etiam terminis dicere liceat, *talia esse predicata, qualia permittuntur esse a suis subiectis*. Vid. *Stalii Reg. Philos. P. II. Diss. XXII. Reg. II. p. 554*. In hermeneutica autem praxi quanto longius ab ea discesseris, tanto magis a vero sensu, quem Scriptor prudens intendit, aberrabis.

OBSERVATIONES.

I. Græcum στοιχείον, cui Latinorum *elementum* respondet, est vox respectiva, & simplicioribus quibusque convenit respectu magis compositorum, quorum substantiam ingrediuntur tanquam partes integrantes.

Scholion.

Verba hæc sunt *B. Sturmii* quondam nostri in *Comp. Phys. erotemat. Part. spec. Sect. I Cap. I. quest. 2.* & confirmantur usu communi auctorum, etiam ipsius *Aristotelis*, qui etsi passim pro consueta subtilitate id agit, ut significationem τῶν στοιχείων arctioribus terminis circumscribat, nunc hanc, nunc aliam conditionem definitioni attexens, tamen *Metaph. VII.* circa finem ita *elementum* describit: στοιχείον ἐστίν, εἰς ὃ διαίρεται ἐνυπαρχῶν ὡς ὕλην: *Elementum est inexistens (alteri) in quod dividitur tan-*